



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum spes sit in voluntate sicut in subiecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

tantum: passiones quarum obiectum est bonum præsens, vt delectatio & gaudium, non sunt nomina aliarum virtutum, sed magis pertinent ad beatitudinem: vnde delectatio ponitur vna de dotibus beatitudinis. Desiderium autem importat quidem motum in futurum, sed sine aliqua præfenti inhesionem vel spiritali contactu ipsius Dei: vnde nec desiderium nominat, virtutem aliquam: vnde relinquatur, quod solum spes, & amor nominant Theologicas virtutes.

AD SEPTIMUM dicendum, q̄ ideo virtutes morales consistunt in medio, q̄ ad virtutē morālē pertinet attingere regulam rationis circa proprium, & per se obiectū. i. circa passiones, & operationes humanas: omne autem regulatum in quantum est huiusmodi, habet rationem medijs: quod autem a regula discedit, aut superfluum, aut diminutum est. Dicitur etiam q̄ virtus intellectualis consistit in hoc, q̄ attingat verum quod est bonum intellectus, veritas autem intellectus humani, regulatur & mēsuratur ab essentia rei. Ex eo enim, q̄ res est, vel nō est, opinio vera est, vel falsa. Et ideo etiā virtus intellectualis circa proprium obiectum in medio consistit, vt scilicet hoc apprehendat homo, de re quod est, nō plus, nec minus: sed virtus Theologica habet pro obiecto ipsam primam regulam nō regulatam. Et ideo sufficit qualitercunq; attingere regulam ad rationē virtutis: propter quod secundum operationē ad proprium & formale obiectum virtus Theologica in medio non consistit: sed ex parte materialis obiecti potest consistere in medio: & hoc accidit ei. Sicut fides catholica in diuinis procedit inter heresim Sabellij confundentis p̄sonas, & heresim Arrij substantiā separātis. Et eodē modo ex parte eius quod est materiale, obiectū spei consistit in medio, in quantum, scilicet aliquis sperat se adipisci beatitudinē sic, vel aliter. Sed ex parte formalis obiecti, quod est auxilium diuinum, non consistit in medio: nullus enim potest nimis diuino auxilio inniti.

AD OCTAVUM dicendum, quod bonum proportionatum mouet appetitum. Nō enim naturaliter appetuntur ea quæ non sunt proportionata: quod autem beatitudo æterna sit bonum proportionatum nobis, hoc est ex gratia Dei. Et ideo spes quæ tendit in hoc bonum sicut proportionatum hominibus habendum, est donum diuinitus infusum.

AD NONVM dicendum, q̄ diligere Deum super omnia potest intelligi dupliciter: vno modo secundum q̄ bonum diuinum est principium & finis totius esse naturalis, & sic amat Deum super omnia non solum rationalia, sed & bruta animalia, & inanimata, in quantum amare possunt, quia vnici que parti amabilius est bonum totius, quàm proprium bonū, vnde naturaliter manus se exponit ictui pro salute totius corporis. Sed iste naturalis amor Dei peruenitur ab hoibus per peccatum: vnde in statu nature integræ poterat homo Deū diligere super omnia secundum modum prædictum. Alio modo, potest aliquis diligere Deum sup̄ omnia, secundū q̄ Deus est obiectum beatitudinis, & secundum quod sit quædam societas rationalis mētis ad Deū quadam spiritali vnitate: & talis dilectio est actus charitatis in quē nulla creatura potest sine gratia.

AD X. dicendum, q̄ virtus inclinatur in proprium actum p̄ moderationē, sicut Tullius dicit. Et ideo certitudo spei & aliarum virtutum nō est referenda ad cognitionē obiecti, vel principiorum proprio-

rum, sed ad infallibilem inclinationem in actum. Ad xi. dicendum, quod charitas facit vnionem in affectu, vt scilicet amans reputet amicum, quasi se alterum, & Deum plus quàm se: potest tamen esse cum distantia reali rei amate, & ita charitas potest esse cum spe.

AD XII. dicendum, q̄ spes habet perfectionem quandam cum imperfectione, & ex illa parte, quæ habet perfectionem, habet perfectam rationē virtutis. Et ex hac parte plenissime fuit in Christo, ipse enim plenissime inhaesit diuino auxilio. Et ex parte eius, quod est imperfectionis, defuit eis spes, sicut & fides.

AD XIII. dicendum, q̄ spes non affligit animam, sed magis est causa delectationis, in quantum facit rem separatam quodammodo esse præsentem cum fiducia adipiscendi: vnde & Apollolus dicit Rom. 11. Spe gaudentes: sed dilatio rei sperate est, quæ quandoque affligit.

AD XIV. dicendum, q̄ duplex est delectatio: vna quidē de obiecto actus. Alia vero de ipso actu: prima autem delectatio non est propria virtuti, quæ est aliqua virtus ad quam pertinet dolere de ipso obiecto, scilicet poenitentia. Sed secunda delectatio, quæ est de actu, est propria virtuti, quæ virtus que habet virtutem est delectabilis operatio, quæ est secundum proprium habitum, vnde etiam poenitens de dolore gaudet. Sic igitur spes in quantum causat delectationem de re sperata, non causat delectationem per se, sed per aliud, id est in quantum incit eam existimare, vt præsentem. Sed secundum q̄ causat delectationē de proprio actu, sic per delectationem causat.

AD XV. dicendum, q̄ facere actum dicitur potest intelligi dupliciter: vno modo q̄ faciat similitudinem in actu. Et hoc sensu procedebat obiecto: hoc autē spes non facit actum difficile, quia non auget difficultatē actui, sed magis diminuit. Alio modo potest intelligi facere actum difficilem, quia oportet spem homines aggrediuntur difficilia.

AD XVI. dicendum, q̄ distantia a termino ad quem, vel a termino a quo, inuenitur in quolibet motu: non tamen ea motu specificatur, sed potest ex termino. Et ideo non sequitur, q̄ si motus est instantis, q̄ maior motus magis sit distans: hæc enim scientia arguēdi tenet solum in his, quæ sunt per se videmus autē, q̄ motus naturalis quanto magis propinquat ad terminum, tanto magis intenditur & similiter etiam est de spe.

AD XVII. dicendum, q̄ memoria nō importat aliquam inhesionem, vnde potest habere rationem virtutis, sicut habet spes: & ideo non est simile.

ARTICVLVS II.

Vtrum spes sit in voluntate sicut in subiecto.

Secundo queritur. Vtrum spes sit in voluntate sicut in subiecto. Et videtur q̄ non. Obiectum enim spei est bonum arduum: sed arduum est obiectum irascibilis. ergo spes est in irascibili, & non in voluntate.

¶ 2. Præter. Charitas est perfectissima virtutum, quæ sufficit ad perficiendā vnā potentiam. Sed charitas est in voluntate. non ergo in voluntate est spes.

¶ 3. Præter. Ideo nō possumus plura intelligere simul quia intellectus nō potest simul informari diversis speciebus intelligibilibus, sicut nec corpus diuersis figuris, vt Algazel dicit. ergo pari rōne vna potentia non potest simul informari in actu, secundum diuersas

Lib. 2. de Inuent. ante h. illius.

fos habitus, vt scilicet secundū vtrumque actu ope-
rerur. Sed simul potest esse actus spei cum actu cha-
ritatis. ergo charitas, & spes non possunt esse simul
in vna potentia: sed charitas est in voluntate. spes
ergo non est in voluntate.

¶ 4 Præt. Spes est certa expectatio. Sed certitudo per-
tinet ad vim cognitiuam. ergo spes est in vi cogni-
tiua, & non in voluntate.

SED CONTRA. Spes est ex meritis proueniens:
sed merita pertinent ad voluntatem. ergo spes est
in voluntate.

RESPON. Dicendum, q̄ sicut dictum est, spes est
virtus Theologica: vnde eius obiectum est Deus:
nulla autem vis sensitua potest se extendere ad hoc
obiectum, quod est Deus, quia sensus corporalia
non transcendit. Et ideo spes non potest esse in ali-
qua vis sensitua. manifestum autē est, q̄ spes ad vim
appetitiuam pertinet, eo q̄ obiectum eius est bo-
num, vt supra dictum est: vnde oportet, q̄ sit in vi
appetitiua rationis, quæ est voluntas secundū Phi-
losofum in 3. de Anima, vnde spes est in volunta-
te, sicut in subiecto: huiusmodi autem appetitus ra-
tionalis non diuiditur per irascibilem, & concupi-
scibilem, vt quidam posuerunt, quia obiectum vo-
luntatis est bonum secundum commune boni
rationem, quam potest intellectus apprehendere,
non autem sensus. Et ideo appetitus sensituius, cui-
us obiectum est bonum secundum rationem particu-
larem, diuiditur in irascibilem, & concupiscibi-
lem, secundum diuersas rōnes boni sensibilis, quod
vel est delectabile secundum sensum ad quod ordi-
natur concupiscibilis, vel est altitudinem propriam
habens supra impedimēta delectationis, & hoc est
obiectum irascibilis: vnde in appetitu superiori ira-
scibilis, & concupiscibilis non ponuntur. Sic ergo
subiectum spei non est irascibilis, sed voluntas.

AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ spes de qua lo-
quimur, est ardui intelligibilis, quod non est obiectum
alicuius specialis potentie, sed voluntas in ip-
sum tendit, secundum rationem vniuersalem boni.

AD SECUNDVM dicendum, q̄ charitas perficit
voluntatem perfecte, quantum ad vnum motum
eius, qui est amare, sed indiget alia perfectione, quā
tum ad alium motum eius, qui est sperare.

AD TERTIVM dicendum, q̄ quando sunt multa
ordinata ad unum, possunt simul intelligi. Similiter
etiam motus spei simul potest esse cum motu cha-
ritatis, quia ad se inuicem ordinantur.

AD QVARTVM dicendum, q̄ certitudo spei de-
ratur a certitudine fidei. In quantum enim motus
appetitiue virtutis dirigitur a virtute cognoscitiua,
participat aliquod de eius certitudine.

ARTICVLVS III.

Vtrum spes sit prior charitate.

Tertio queritur de ordine spei ad charitatem,
vtrum spes sit prior charitate. Et videtur q̄ nō.
Ambrosius enim super illud Luc. 17. Si habueritis fi-
dem sicut granum sinapis &c. dicit. Ex fide est cha-
ritas, ex charitate spes: sed fides est prior charitate,
ergo charitas est prior spe.
¶ 2 Præt. Augustinus dicit in Enchir. q̄ fides sine chari-
tate non prodest: spes autem sine charitate esse nō
potest. Sed si spes est prior charitate, posset esse
sine ea, sicut & fides, licet non prodesset. ergo spes
non est prior charitate.

A ¶ 3 Præt. Aug. dicit 12. de ciuitate Dei, q̄ boni mo-
tus atque affectus ex amore, & ex sancta charitate
veniunt. Sed sperare secundum q̄ est actus spei, est
quidam motus, & affectus laudabilis. ergo deriuat-
ur a sancta charitate. Sic ergo charitas est prior spe.

¶ 4 Præt. Spes est cum desiderio, vt supra dictū est.
Sed desiderium non est nisi boni amati. ergo spes
præsupponit amorē. ergo est posterior charitate.

¶ 5 Præt. Inter affectiones animæ, prima est amor.
Ex eo enim omnes actiones & affectiones animæ
deriuantur, vt patet per Dionysium 4. c. de diuinis
nomi. Sed spes importat quandam animæ affectio-
nem. ergo charitas, quæ est amor, est prior spe.

B ¶ 6 Præt. Spes vel desiderium non est nisi proprii
boni. Sed bonum, aliquid sit proprium appetenti
per amorem, sic enim redditur conueniens. ergo
spes & desiderium præsupponit amorem.

¶ 7 Præt. Aug. dicit 14. de ciuit. Dei, quod recta vo-
luntas est charitas. Sed recta voluntas præcedit spem.
ergo charitas præcedit spem.

¶ 8 Præt. Eorum quæ sunt simul, vnum nō est prius
altero: sed fides, spes, & charitas sunt simul. Quia si-
cut Greg. dicit super Ezech. æqualiter ab homine
habentur. ergo spes non est prior charitate.

¶ 9 Præt. Idem non est prius seipso: sed idem vide-
tur esse spes charitati, cum vtriusque sit vnum ob-
iectum, scilicet summum bonum. ergo spes non
est prior charitate.

C ¶ 10 Præt. Magister dicit 26. distinctione tertij sen-
tentiarum, quod spes ex meritis prouenit, quæ præ-
cedunt non solum rem speratam, sed spem quam
præit charitas. ergo spes non est prior charitate.

¶ 11 Præt. Spei opponitur desperatio, charitati au-
tem opponitur quodlibet peccatum mortale: sed
prius est quod homo incidat in peccatum morta-
le, quam quod incidat in desperationem. ergo cha-
ritas non est prior spe.

¶ 12 Præt. Ordo habituum & actuum est secundum
ordinem obiectorum: sed bonum, quod est obiectum
charitatis, est prius quā arduū quod est ob-
iectum spei, quia arduum se habet ex additione ad
bonum. ergo charitas est prior spe.

D ¶ 13 Præt. Quicquid nobilitatis conuenit alicui in-
completo in aliquo genere, conuenit etiam com-
pleto in genere illo. Sed manifestum est q̄ aliquis
amor incompletus præcedit spem. ergo multo ma-
gis amor cōpletus qui est charitas, spem præcedit.

SED CONTRA, est quod dicitur Matth. 1. Abra-
ham genuit Isaac: Isaac autem genuit Iacob. glo. 1.
fides genuit spem, spes charitatem: sed generans est
prius genito. ergo spes est prior charitate.

E ¶ 2 Præt. Super illud Psal. 36. Spera in Deo & fide
nitatem, dicit gl. Spes est introitus ad fidem, & ini-
tium humanæ salutis. Et sic videtur q̄ spes sit prior
fide: sed prior est fides charitate. ergo & spes.

¶ 3 Præt. Apostolus dicit 1. ad Timoth. 1. Finis præ-
cepti charitas est de corde puro & conscientia bo-
na. glo. id est spe. Et sic videtur quod charitas procedat
ex spe. Spes ergo est prior charitate.

¶ 4 Præt. Aug. dicit decimo de Trinitate, q̄ nullus
amat, nisi id, ad quod se sperat posse peruenire: & id
quod quis non sperat, aut non amat, aut tepide
amat. ergo amor præsupponit spem.

¶ 5 Præt. Prius est a quo non conuertitur conse-
quentia subsistendi: sed spes est huiusmodi. In statu
enim viæ quicumq; habet charitatem, habet spem:
sed non conuertitur. ergo spes est prior charitate.

RESPON.

Cap. 7. & p. tom. 5.

parte 3.

Ca. 7. in me- dio tom. 5.

Glo. interli- nearis ibi.

Glo. interli. ex Galiod.

Gl. interli. ibi.

Gal. 3. med. tom. 3.